Ex plenitudine JEsu pacem & gratiam. 327

VIR maxime Reverende, Amplissime ac Dignissime, Fautor atque Confrater in CHRISTO Aestumatissime.

Qui nuper Giessa Tubingam reversus est, Excell. DD. Möglingius tuum mihi favorem singularem prolixe celebravit & quo ardeas Zelo DEI, laetus retulit. Vix nos resalutavit bonus hic VIR, ecce viduus factus est tristissimus, uti sine dubio jam percepisti. Quo sit animo scire potes, idem olim expertus, cum celeb. DD. Langii filia, conjunx tua prima probatissima terrenis valediceret. Et tibi & moestissimo nostro DD. Möglingio Deus opt. max. efficacissimus adsit solatiis & vestra sanans vulnera, familiis lugentibus auxilio consilioque potenter assistat. DD. Oberkampfium Amicum meum valde dilectum, non opus est ut multis tibi verbis commendem, cum semetipsum M. R. Dignitati jam sufficienter commendavit. Quia Salvam poesin meum amas duos tibi Tomos meditationum ac observationum mearum annuarum maximam partem poeticarum, in monumentum ac pignus amoris transmittere volui. Quodsi placeret M. R. Dignitati tuae libros tuos cum meis commutare,

327

proximis nundinis paschalibus Erfurtensibus plures tibi
tomos, sive compactos, sive non compactos, mitterem.
Si manus manum lavat & proximus proximum, iuvat.
Tui mentionem feci decentem in tomo, qui memorabilia anni
1730. recenset pag. 310. partis secundae. Si de dd. Schuppartio,
Uffenbachio, dd. majo jun. b. m. quaedam habes, sive programmata, sive carmi-
na, aut alia notabilia, illa mihi erunt gratissima. Curabo,
utrorum virorum optimorum etiam meis laboribus per
meos libellos magis innotescat memoria. Quid apud nos agat,
recensebit Oberkampfius punctatim, hoc non leve,
prolixior, sed TE, VIR theophile, gratiae divinae
perennanti, tuo autem [illegible] spirituali
& amori Christiano enixissime commendo, qui
sum toto corde

M. R. dignitatis tuae

Tubingae d. V. Febr.
MDCCXXXV.

Cultor integerrimus,
G. C. Pregizer.

A. 1731. Graece compellavi
nostrum Eichelpium, dn.
Schillingerum, si adhuc inter vivos est,
saluta Virum hunc & senem venerandum
meo nomine multum.

Viro maxime Reverendo, Amplissimo,
dignissimoque Dno Jo. Jacobo Ramba-
chio, SS. theol. D. & prof. ord. in Academia
Ludoviciana Giessenti Celeberrimo,
necnon Generali ibidem Ecclesiarum
Superintendenti Gravissimo, Fautori
ac Confratri meo in Christo Aestuma-
tissimo, tradantur hae ad fauent[illegible]
meos

manu Amici charissimi,
cui Deus adsit

Giessa.

2744